

patitur. — § 1. Sin autem in secunda etate adhuc filius est, et hereditate ei delata pater consentire adevnti hereditatem noluerit, vel patre volente ipse reclamaverit: si quidem recusaverit filius, licentiam damus patri simili modo hereditatem adire, et eam pleno jure habere his omnibus quæ superius diximus, locum habentibus. Sin autem patre recusante filius adire maluerit: damus quidem licentiam ei hoc facere. Nolente autem patre res filii gubernare propter causam necessitatem, habeat facultatem filius adire competentem judicem, et ab eo petere curatorem⁴⁹ hereditati dari, per quem gubernatio rerum ad eum delatarum procedat: in utroque casu in integrum restitutionis auxilio minime ei denegando. — § 2. Similique modo et in milite filiofamilias qui recusaverit additionem hereditatis, quæ ei ex castrensibus occasionibus veniat; patri danda licentia adire hereditatem, ut ad ipsum perveniat pleno jure, tam per usumfructum, quam per dominium eandem hereditatem possessurum, quasi ipse pater ab initio fuisset heres institutus, eo videlicet subjacente omnibus oneribus hereditariis, et omnia commoda habituro, et ad filium nullo periculo redundante. Et hæc quidem in his casibus observanda sunt, quibus discordia inter patrem et filium vertitur.

§ 3. Ubi⁵⁰ autem in unum voluntas eorum concurrat, et pater usumfructum, et filius habeat proprietatem: et in agentibus et fugientibus pater quidem suscipiat actiones, et moveat, cujuscumque ætatis filius inveniatur, adhibeatur autem etiam filiorum consensus, nisi adhuc in prima⁵¹ ætate sunt constituti, vel longe absunt, sumptibus videlicet a patre propter rerum incrementa faciendis: cum enim nuda proprietates apud filium inveniatur, ex qua substantia possibile est eum sumptus litis dependere? — § 4. Sin autem res alienum ex defuncti persona descendit, cum etiam apud veteres hæc esse substantia intelligatur, quæ post detractum⁵² res alienum supersederit: habeat pater licentiam ex rebus hereditariis (primum quidem mobilibus, sin autem non sufficiunt, ex immobilibus) sufficientem partem nomine filii vendare, ut illico reddatur res alienum, et non usurarum onere prægravetur. Quod si pater hoc facere superederit, ipse usuras vel ex redditibus, vel ex substantia sua omnimodo dare compelletur. Sin autem legata, vel fideicommissa, sive annalia sive semel relicta imminent hujusmodi personis: si quidem tales redditus sunt, qui sufficiunt ad annalia legata, pater ex hujusmodi redditibus hoc dependere compelletur. Sin autem non habeat substantia sufficientem reditum ad legatorum, vel fideicommissorum præstationem, vel minime redditus, vel alias accessiones contineat, sint tamen res mobiles, vel immobiles, steriles quidem, non tamen inutiles, veluti domus in provinciis pretiosæ, vel ubicunque posita [ædificia, vel] suburbana; ex quibus hujusmodi legata possint, explicari: licentia dabitur patri sufficientem partem eorum similiter filii nomine vendere, et satisfacere legatis. Hoc proculdubio observando, ut et mancipia ipse usufructuarius alere debeat, et omnia circa usumfructum facere, quæ nullo modo proprietatem possint deteriore⁵³ facere: paterna reverentia⁵⁴ eum excusante, et a ratiociniis, et a cautionibus, et ab aliis omnibus, quæ ab usufructuariis extraneis⁵⁵ a legibus exiguntur secundum constitutionis tenorem, quam super hujusmodi casibus tulimus. — § 5. Ipsum autem filium, vel filiam, filios, vel filias, et deinceps alere patri⁵⁶ necesse est, non propter hereditates, sed propter ipsam naturam, et leges quæ et a parentibus alendos esse liberos imperaverunt, et ab ipsis liberis⁵⁷ parentes, si inopia ex utraque parte vertitur. Sed pater quidem in predictis tantummodo causis habeat licentiam [rite] res filiorumfamilias vendere filii nomine: vel si emptorem non invenerit, [rite] pignori supponere, nullo modo licentia concedenda filiis casdem venditiones, vel hypothecas retractare. Non autem licentia parentibus danda extra memoratas causas, res, quarum dominium apud eorum posteritatem est, alienare⁵⁸, vel pignori vel hypothecæ titulo dare: sed si hoc fecerint, scituris, quod necesse est eos in legum laqueos incidere, quibus hujusmodi venditiones, vel hypothecæ sunt interdictæ: exceptis videlicet [rebus] mobilibus, vel immobilibus illis, quæ onerosæ hereditatis sunt, vel quocunque [modo] damnosæ, quas sine periculo vendere patri cum paterna pietate licet: ut pretium earum vel in res, vel in causas hereditarias procedat, vel filio servetur. Filiis autem familias in his [duntaxat] casibus, in quibus usufructus apud parentes constitutus est, donec parentes vivunt, nec de iisdem rebus testari⁵⁹ permittimus, neque citra voluntatem eorum, quorum in potestate sunt, ulla licentia eis concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare, vel hypothecæ titulo dare, vel pignori assignare. Melius enim est coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant,

49. L. 8. pr. vers. ad defendendum, D. de procurat. — 50. L. 1. vers. parentes, supr. lit. prox. — 51. Confer § 1, supr. h. l. — 52. L. 59, § 1, D. de verb. signif. — 53. L. 15, § 4, D. de usufructu. — 54. L. 6, § 2, supr. h. l. 1, confer L. 7, pr. supr. de curat. furios. — L. pen. § 2, D. de ritu nupt. — 55. Adde L. 1, supr. de usufructu. — 56. L. 4, supr. de alendis lib. — 57. L. 1, supr. d. t. 1, L. 5, § 15, D. de agnoscend. et alend. lib. — 58. Arg. N. 7. — 59. L. 5, § 1, L. 11, supr. qui testam. facere; L. 5, infr. de patr. potest. — 60. Supr. pr. h. §. — 61. L. 4, in fin. supr. de litigiam. minore. — 62. L. 4, D. de minorib.; immo vide L. 7, § 2, D. de l.

qui eos post dispersum expectat patrimonium. Cum enim (sicut dictum⁶⁰ est) parentes alere eos secundum leges et naturam compellantur, quare ad venditionem rerum suarum prostrilire desiderant? — § 6. Ubi autem puerilis ætas patri licentiam præstat etiam sine consensu filii hereditatem nomine ejus adire: si hoc fecerit [pater, damus⁶¹] quidem filio in integrum restitutionem, postquam patria fuerit potestate liberatus, vel adoleverit: patrem autem [omnibus] oneribus hereditariis, licet nomine filii aditi, modis omnibus illigamus. Quare enim talem hereditatem aditi: qualem nec ipse, nec nunc filius idoneam sibi esse existimat? Non autem filio damus⁶² licentiam, si in integrum restitutionem petat, respuendam credens esse hereditatem, adhuc minoribus curricularis instantibus, iterum per aliam restitutionem adire præfatam hereditatem, ne ludibrio leges ei fiant, sæpius eandem et amplecti et respicere hereditatem cupienti. Si enim quod pater fecit, [filius] ratum non habuit, et propter hoc restitutus⁶³ est: quomodo ferendus videatur iterum iudicium amplectens, quod post patris voluntatem contraria affectione aspernam esse existimavit? Sin vero pater quidem hereditatem repudiaverit⁶⁴ infante filio constituto, ipse autem filius postea vel adhuc in sacris constitutus, vel patria potestate liberatus, adendum esse crediderit eandem hereditatem: licentiam damus ei, vel si sui juris efficiatur, tutoribus ejus, vel curatoribus hereditatem adire, nullo præjudicio ex recusatone paterna ei generando: simili modo et in hac parte nulla ei, vel tutoribus, vel curatoribus ejus licentia concedenda contra priorem suam in voluntatem in integrum restitutionem petere. Quæ et in legatis⁶⁵, et in fideicommissis, tam specialibus, quam per universitatem relictis, et in aliis causis, quas supra enumeravimus, similibusque eis observanda sunt. In servis autem, qui filiis, [vel] filiabus familias donantur, sive constante matrimonio, sive ab extraneis sub ea conditione, ut statim eos in libertatem perducant: nullum impedimentum paterna faciat auctoritas. Qualis enim ususfructus potest ei acquiri, qui momentarius⁶⁶ esse ostenditur? Si enim in ipso momento necesse habeat eum et possidere, et libertate donare, in talem hominem, qualis ususfructus patri potest acquiri?

TIT. LXII

DE HEREDITATIBUS DECURIONUM¹ [NAVICULARIORUM², COHORTALIUM³ MILITUM⁴, ET FABRICENSIVM⁵.]

1. Imp. CONSTANTIVS A. Mastichiano prefecto annonæ.

Si quis navicularius sine testamento et liberis, vel successoribus defunctus sit: hereditatem ejus non ad fiscum, sed ad corpus naviculariorum, ex quo fatali sorte subtractus est, deferri præcipimus. — P. P. decimo quarto kal. *Lastronæ*, CONSTANTINO A. 7 et CONSTANT. Cl. C. CONSULIBUS 554.

2. *Idem*, A. Bonoso magistro equitum.

Universis tam legionibus⁶, quam vexillationibus comitatensibus seu cuneis insinuare debebis, ut cognoscant, cum [eorum] aliquis fuerit rebus humanis exemptus, atque intestatus, [si] sine legitimo herede decesserit, ad vexillationem, in qua militavit, res ejusdem necessario pervenire. — Dat. 7 id. Maji, *Hierapoli*, RUFINO et EUSEBIO CONSS. 547.

3. *Idem*, A. Rufino P. P.

Si quis cohortali⁷ conditione gravatus, sine testamento, vel quolibet successore ultimam diem obierit; successorem ejus non ad fiscum, sed ad cæteros cohortales ejusdem provincie pertinere jubemus. — Dat. 5 kalend. Januar. LIMENIO et CATULINO CONSS. 549.

4. Imp. THEOD. et VALENT. AA. Florentino P. P.

In testatorum curialium bona, si sine herede moriantur ordinibus patriæ eorum adipisci præcipimus. — Dat. 8 idib. Mart. FLORENTIO et DIONYSIO CONSS. 429.

5. *Idem*, AA. et CC. Aureliano comiti rerum privatarum.

Si quis fabricensis⁸ sine liberis, vel legitimo herede decesserit non condilo testamento: ejus bona cujuscumque summe sint, ad eos pertinere [sancimus,] qui velut credores decedentium attingunt, qui fisco pro intercepto respondere coguntur. Hoc enim factio contingit, ut et reipublicæ ratio salva permaneat: et fabricenses collegarum suorum solatiis perfruantur, qui damnis ac detrimentis tenentur obnoxii.

— 63. Immo obit. L. ult. supr. qui et advers quos in int. restit. — 64. L. 1, supr. si ut omnia hered. — 65. Fac. L. 7, § 6, D. de minorib. — 66. Confer L. 127, D. de reg. jur. — 67. LXII. — 1. L. 4, infr. h. t. — 2. L. 1, infr. eod. — 3. L. 3, infr. eod. — 4. L. 2, infr. eod. — 5. L. 5, infr. eod.; adde L. 20, supr. de episcop. et cler. — L. 3, infr. de appar. præf. pract.; L. 1, infr. si liberal. imper. socius. — 6. L. 6, § 7, in fin. D. de injuri. rupt. irrit. facto testam. — 7. Infr. de cohortalib. — 8. Infr. de fabricensib.

LIBER SEPTIMUS.

TIT. I.

DE VINDICTA¹ [LIBERTATE] ET APUD CONCILIVM MANUMISSIONE.

1. Imp. ANTONINVS A. Tertio.

Eorum, qui apud codicillum manumittuntur, post causam a iudicibus probatam, et manumissionem secutam, non solet status in dubium revocari², si dicantur falsa demonstratione liberati.

2. Imp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. et CC. Sallustio.

Nihil civitati romanæ semel præstatæ vel addere, vel detrudere³ secundam manumissionem potuisse certissimum est. — Dat. prid. kal. Maji, AA. et CC.

3. *Idem*, AA. et CC. Attonitæ.

Nec mulierem per maritum⁴ nec alium per procuratorem [vindicat] manumittere potuisse, non est ambigui juris.

4. Imp. CONSTANTIVS A. Maximo P. P.

Apud concilium⁵ [nostrum] vel apud consules⁶, prætores⁷, [præsules,] præsides, magistratusve earum civitatum, quibus hujusmodi jus est, adipisci potest patronorum iudicio sedula servitus libertatem.

TIT. II.

DE TESTAMENTARIA¹ MANUMISSIONE.

1. Imp. SEVERVS et ANTONINVS AA. Primo.

Si codicillos² major viginti annis fecisset, confirmationis tempus libertati non nocere certum est: nec enim potestas juris, sed iudicii consideratur.

2. *Idem*, AA. Philetio.

Ex testamento defuncti libertates præstari non possunt hereditate non adita³, vel si rei memoria propter crimen, quod morte non intercedit, damnata est.

3. *Idem*, AA. Euphrosyno.

Libertas testamento [defuncti] data, adita hereditate contingit, et licet heres scriptus per in integrum restitutionem abstinuerit hereditate⁴, [tamen] nihil ea res libertati obest. — S. 17 kal. Maji, APRO et MAXIMO CONSS. 208.

4. *Idem*, AA. Archelao.

Cum testamento directam libertatem pater tuus sit consecutus: quamvis ei heres extiteris, frustra tamen rationes quas tempore servitutis gessit⁵, ut reddas, compelleris, cum non ea conditione acceperit libertatem. Is autem, cui libertas seu fideicommissaria, seu directa, si⁶ rationes reddidisset, relicta est: ante reliqua illata, et ea, quæ malo consilio amota sunt, ad libertatem non potest pervenire. Si autem non debitor libertatem fuerit repertus: post aditam hereditatem quasi puram libertatem consequitur. — Proposita 7 kal. decemb. LÆTO 2 et CEREALE CONSS. 216.

5. Imp. ALEXAND. A. Quintiliano.

In fraudem creditorum testamento data libertates, quamvis debitori heres⁷, qui solvendo est, extiterit: per legem Æliam Sentiam non valent.

6. Imp. GORDIANVS A. Pisistrato.

Si hereditas ejus, a quo testamento dicit te esse manumissum, ob res

TIT. I. — 1. Lib. 40, D. 2. — 2. L. 9, § 1, D. de manum. vindict.; § 6, Inst. quib. ex causa manum. — 3. Adde L. 2, infr. de ingenuis manum. — 4. Immo vide L. 64, pr. D. soluto matrim. — 5. L. 1, supr. h. t. — 6. L. 1, pr. D. de officio cons.; L. 4, § 5, supr. de advoc. divers. iudicum. — 7. L. 1, D. de off. præf. — 8. L. 1, D. de off. præf. — 9. L. 4, D. h. t. — 10. L. 25, pr. D. eod.; L. 1, infr. de fideicom. libert. — 11. L. 3, D. h. t.; L. 4, § 2, D. de fideicom. libert. — 12. L. 1, supr. in servus pro suo facto. — 13. L. 4, § 1, D. de iudicem. libert. — 14. L. 5, pr. D. qui et a quib. manum. — 15. L. 15, § 5, infr.; L. 40, in fin. D. h. t.; L. 2, in fin. L. 3, L. 4, pr. D. de fideicom. libert. — 16. Inst. de eo cui libert. caus. — 17. D. L. 15, infr. h. t. — 18. L. 50, in fin. D. eod. — 19. L. 5, supr. si emancip. ita fuerit alien. ut manum. — 20. L. 50, § 4, D. de legat. 1. — 21. Immo vide L. 7, infr.; L. 51, D. de liberat. caus. — 22. L. un. § 5, infr. de latina libert. tollend. — 23. L. 25, D. h. t. — 24. L. 25, L. 24, § 1, D. de fideicom. libert. — 25. L. ult. § 1, supr. de codicillis. — 26. Immo vide L. 58, D. de fideicom. libert. — 27. L. 2, L. 10, supr.; L. 25, D. h. t. — 28. L. 5, § 1; L. 14, pr. D. de appellacionib. — 29. d. L. 5, § 1; d. L. 14. — 30. L. 7, L. 32, infr. de liberat. caus.; L. 3, § 1, D. de statulib. — 31. Vide tamen L. 50, D. d. t. — 32. L. 21, in fin. supr. de testam. — 33. L. 6, supr. h. t.; § 1, Inst. de eo cui libert. causa. — 34. D. L. 6, et § 5, infr. h. l. — 35. d. L. 6, d. § 5, et Inst. de eo cui libert. causa. — 36. L. 4, § 2, D. de fideicom. libert.; § 1, Inst. de eo cui libert. causa.

alienum spernitur ab heredibus: conservandæ⁸ libertatis gratia non injusta ratione creditoribus hereditariis satis⁹ offerens, iudicium testatoris observari tibi postulabis: maxime cum id etiam a divo Marco¹⁰ consultissimo principe sit constitutum, quod in extranei¹¹ quoque persona observari oportet.

7. *Idem*, A. Justæ.

Contra voluntatem matris tuæ libertatem in eum conferre, quem illa liberum fieri prohibuit, non debes¹², ne videaris jura pietatis violare.

8. Imp. PHILIPPVS A. et PHILIPPVS C. Tremellio.

Cum testator libertatem tempore nuptiarum filii sui, vel filie servo dari jussit: non tempus præstandæ libertatis præstituit: sed potius conditioni¹³ locum fecit, ut non insecutis nuptiis libertas jure posci non possit.

9. Imp. CARVS, CARINVS et NUMERIANVS AAA. Mauro.

Servo tuo defunctus, licet te heredem¹⁴ scripsisse proponitur, directam tamen libertatem non potuit dare: jure enim directo libertatem servus alienis nemo potest dare.

10. Imp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. et CC. Germano.

Directis verbis jure data libertate, non solum impositione pilei¹⁵, sed et adita¹⁶ hereditate, (si nulla juris impediatur constitutio) liberti constituantur Orcini.

11. *Idem*, AA. et CC. Laurinæ.

Si jure non subsistit¹⁷ testamentum: in hoc nec libertates (cum non fuisse adjectum, ut pro¹⁸ codicillis scriptum valeret, proponas) recte datas constabit¹⁹.

12. *Idem*, AA. et CC. Rhyno.

Si heredes jure facto testamento solenniter adierint²⁰ hereditatem: ex testamento tibi libertas quaesita postea colludentibus²¹ tam scriptis heredibus, quam ab intesta²² vindicantibus successorem, adimi non potuit. Quod si sponte repudiaverint sibi delatam successorem: omnia quæ [in] testamento fuerant scripta, defecisse convenit. Si vero, ut vos defraudarent [heredes] libertate, collussisse eos præses animadverterit, secundum hæc quæ D. Pius²³ Antoninus constituit, libertatibus consuli providebit.

13. *Idem*, AA. et CC. Martiali.

Statuliberis datam libertatem adimi ab herede²⁴ non posse certum est: nec alienatio²⁵, nec usucapio statulibero, quominus existente conditione libertatem consequatur, nocere potest.

14. Imp. THEODOSIVS et VALENTIN. AA. Florentino P. P.

Directas libertates græcis²⁶ verbis licet in testamentis relinquere, ut ita libertates directe datæ videantur, ac si legitimis verbis eas testator dari jussisset.

15. Imp. JUSTINIANVS A. Joanni P. P.

Cum constitutio divi Marci²⁶ declaret, si quis [condito] testamento, vel sine testamento moriens, ut locus fiat ab intestato successioni, libertates reliquerit: nemo autem adire velit defuncti hereditatem, eo quod suspecta esse videatur, et fuerint libertates forsitan, et sine scriptis fideicommissariæ relicte; licere vel cuilibet extraneo²⁷, vel uni ex servis²⁸, qui et ipse libertate donatus est, et pro sua periclitatur conditione, adire hereditatem sub [hac] conditione et satisfactione²⁹, quod et creditoribus omnibus satisfaciat, et libertates imponat his, quibus voluit testator: variæ dubitationes ex hac constitutione emeruerunt: nam si res hereditariæ herede minime invento venierint, an et post venditionem earundem rerum possibile sit, vel servum, vel quemlibet alium adire, et recuperare quidem ab emptoriis res, satisfacere autem libertatibus, et creditoribus, quaerebatur: et licet D. Severus, semel rebus venditis hoc non admittit, nobis tamen Ulpiani sententia admodum placuit, maxime propter libertates, ne depereant, et post venditionem rerum annale remedium dare divi Marci constitutioni, intra quod et creditoribus omnibus satisfaciat, et emptores nihil novi patiantur, qui annalem sæpe sententiam rescissionem [et] licere servo, qui libertate donatus est, vel alii

24. D. de legat. 1. — 25. Immo vide L. 7, infr.; L. 51, D. de liberat. caus. — 26. L. un. § 5, infr. de latina libert. tollend. — 27. L. 25, D. h. t. — 28. L. 25, L. 24, § 1, D. de fideicom. libert. — 29. L. ult. § 1, supr. de codicillis. — 30. Immo vide L. 58, D. de fideicom. libert. — 31. L. 2, L. 10, supr.; L. 25, D. h. t. — 32. L. 5, § 1; L. 14, pr. D. de appellacionib. — 33. d. L. 5, § 1; d. L. 14. — 34. L. 7, L. 32, infr. de liberat. caus.; L. 3, § 1, D. de statulib. — 35. Vide tamen L. 50, D. d. t. — 36. L. 21, in fin. supr. de testam. — 37. L. 6, supr. h. t.; § 1, Inst. de eo cui libert. causa. — 38. D. L. 6, et § 5, infr. h. l. — 39. d. L. 6, d. § 5, et Inst. de eo cui libert. causa. — 40. L. 4, § 2, D. de fideicom. libert.; § 1, Inst. de eo cui libert. causa.

non citare et tibi dicitur ab herede... *cuidam extraneo, vel ante venditionem rerum, vel post venditionem, intra annale tamen tempus adire hereditatem, et res recuperare, prius satisfactione danda, ut tam liberatibus, quam creditoribus satisfiat.* — § 1. Sin autem liberatibus quidem omnibus satisfacere quis polliceatur, creditoribus autem non in solidum, sed in partem solvere creditum, illi autem huiusmodi pactionem admiserint: sancimus, et in huiusmodi casu consultissimi principis locum habere constitutionem, et eum modis omnibus admittendum [esse] censemus: maxime cum ex voluntate creditorum hoc interponitur; nolentibus etenim creditoribus admitti talem pactionem nullo modo concedimus. — § 2. Sin vero quidam ex servis libertatem amplexi fuerint, alii autem censuerint esse respuendam: et in hunc casum extendenda est divi Marci oratio, et proculdubio, et in hac specie audiendus est petitor hereditatis: et maneat liberum arbitrium servorum, sive ad libertatem venire volunt, sive in servitute remanere. Licet enim romanam civitatem recusare³¹ nemini servorum licitum sit: tamen in hoc casu, ne propter quorundam indevolutionem alii maneant in servitute, volentibus quidem omnibus servis licere in libertatem pervenire, nolentibus autem quibusdam, vel recusantibus, spontaneam servitutem imminere oportet, et quem patronum habere noluerint, dominum suum, et forsitan acerbum sentiant. — § 3. Sin vero non omnes libertates adimplere pollicitus fuerit, sed certum numerum servorum ex his, qui ad libertatem venire [jure] sunt jussi: melius est, si quidem res hereditariae sufficient ad implendos creditores: etiam omnibus servis dare libertatem, etsi hoc pollicitus non est. Sin autem deest [aliquid] in exsolvendis creditoribus, humanius est, ut pauci saltem perveniant ad libertatem.

§ 4. Sed hoc quidem antiquis dubitationibus remedium invenimus: bellissimam autem repletionem praeferat constitutioni donantes, sancimus, ut si non unus veniat hereditatis petitor, sed plures quidem uno momento, uterque, vel ampliores: omnibus detur licentia communiter hereditatem adire, prius satisfactione ab omnibus danda, ut creditoribus, et liberatibus satisfiant. Sin autem per intervalla temporum hoc fiat, qui primus venit, habeat prerogativam, si etiam satisfactionem praestare potest. Illo autem cessante hoc facere, alii gradatim secundum tempora petitionis succedant, et hoc intra annale tempus observetur. — § 5. Sin autem uno pollicente quosdam liberos facere, non autem totos, alius emerit, satisfactionem paratus idoneam praestare, quod omnibus creditoribus et omnibus liberatibus satisfiat: acquisitum est eum admitti, ut omnes libertates indistincte celebrentur, quod privilegium damus, non solum servo³², qui libertate donatus est, sed etiam ei, cui nulla³³ libertas relicta est, ut aliquid venustum eveniat: ut per eum cui relicta libertas non est, aliis libertas imponatur. — § 6. Sed si quidem antequam prior hereditatis res et libertatem accipiat, hoc eveniat, secundo petitori, vel tertio, vel deinceps ampliores libertates pollicentibus fieri locum censemus. Sin autem jam rebus servo qui primus petit hereditatem datis, et liberatibus ab eo quibusdam servis hereditariis impositis, quidam servus alius hereditarius, vel liber extraneus hoc facere maluerit: licebit quidem [hoc] ei impetrare, et sub majoribus pollicitationibus et satisfactionibus hereditatem accipere. Sed prior in libertate petitor maneat, licet res ab eo distrahantur, his omnibus intra annum (secundum quod dictum est) celebrandis, ex quo prior petitor iudicem adierit.

TIT. III.

DE LEGE FUSIA CANINIA TOLLENDI.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Mennae P. P.

Servorum libertates in testamento relictas, tam directas, quam fideicommissarias ad exemplum inter vivos libertatum indistincte valere censemus, lege Fusia Caninia de caetero cessante, nec impediende testamentum pro suis servis clementes dispositiones effectui mancipari. — Dat. kal. Jun. AA. Coxss.

TIT. IV.

DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBUS.

1. Imp. SEVERUS ET ANTONINUS AA. Primo.

Cum proponas hereditatem ejus [testatoris] aditam² non esse, a quo

30. L. 7, supr. de precib. imper. offer. — 31. Immo vide L. 69, D. de reg. jur. — 32. Pr. supr. hic: L. 6, supr. h. t. — 33. L. 20, in fin. D. eod.
Tit. III. — 1. Lib. 40, D. 5; § 2, Inst. de sing. reb. per fideicom. relict. — 2. L. 2, supr. de testam. manum. — 3. L. 1, supr. si omnia sit causa testam. — 4. L. 24, § 11, D. h. t. — 5. L. pen. § 1, D. de iure patronat.; L. 47, D. de manumiss. testam. — 6. L. 1, § 5, infr. de communi servo manum. — 7. L. 26, § 5, D. h. t.; L. 16, D. de statu lib. — 8. d. L. 26, § 1

tibi fideicommissariam libertatem relictam dicit, et ab intestato³ alium, quam qui scriptus est, hereditatem possedisse: si non a legitimo⁴ quoque herede fideicommissaria libertas repetita est, nullo jure praestari eam ab eo, qui rogatus non est, desideras. Plane si pecunia accepta heredem institutum omisisse hereditatem docueris, libertatem tibi praestare cogetur. — P. P. 13 kal. Mart. LATERANO ET RUFINO COXSS. 198.

2. Imp. ANTONINUS A. Valerio.

Quamvis codicilli⁵ quibus avunculo defunctae legatus esse videris, falsi pronuntiati sunt: tamen si ante motam criminis questionem, justam libertatem es a legatario consecutus, posterior eventus non infirmat ita datam libertatem. Plane secundum D. Hadriani constitutionem datur heredi viginti⁶ aureorum repetitio.

3. Imp. ALEXANDER A. Lucio.

Cum libertatem mulieribus sub conditione datum proponas: quid dubium est, eos, qui ex his⁷ ante impletam eam eduntur, servos nasci, et pertinere ad heredes jure domini? His enim demum succursus est, qui post⁸ moram praestandae libertatis progeniti sunt, ut liberi [et] ingenui nati videantur.

4. Idem, A. Hadriano.

Si voluntate domini in libertate est morata, cui fideicommissaria⁹ libertas relicta fuit: secundum senatusconsultum, et constitutiones ad id pertinentes civis romana facta ingenuus¹⁰ peperit. Sed si nunquam ab ea libertas petita¹¹ est, sibi imputare debet, cur interea progeniti ex ea servi sunt.

5. Idem, A. Dionysio.

Minor¹² annis lege definitis, nec per fideicommissum libertatem supremis suis [elogiis] relinquere potest, nisi his, quorum causam probare potest.

6. Idem, A. Maximo.

Deberi etiam alienae ancillae fideicommissariam libertatem placuit: nec deficit hoc debitum, si interim domina (si modo nihil ex iudicio ejus qui, quaeve reliquit libertatem, perceperit) noluit vendere¹³: quia possit tempore procedente, ubicunque occasio redimendae ancillae fuerit, praestari libertas.

7. Idem, A. Nicomedi.

Hi, quibus per fideicommissum libertas supremis iudicis relinquatur, eorum liberti¹⁴ efficiuntur, a quibus manumittuntur. — P. P. kal. april. FUSCO ET DEXTRO COXSS. 226.

8. Idem, A. Eutychetti.

Cum proponas fideicommissariam libertatem ita tibi datam, si uxori testatoris placuisset¹⁵: licet [ea] non adente hereditatem, pertinere coeperit ad filium solida hereditas, non refragante tamen uxore testatoris, potes petere libertatem.

9. Imp. VALERIAN. ET GALLIEN. AA. Daphnidi.

Etsi non adscripta libertate testator servum suum tutorem filiis suis dederit: receptum est [tamen] et libertatis et pupillorum favore¹⁶, ut per fideicommissum¹⁷ manumissis eum videatur. Etsi non suum¹⁸ proprium, sed alienum servum conditionem ejus sciens tutorem adscripserit: aequae fideicommissariam libertatem datam (nisi aliud evidenter defunctum sensisse appareat) prudentibus placuit.

10. Idem, AA. Mercurialii.

Fideicommissaria quidem libertas ita tibi relicta, cum testatoris filius ad annum vigesimum quintum pervenerit, non intercidit, licet heredem intra praestitutam aetatem decessisse proponas: tempore quippe, quo, si viveret, praefinitam aetatem impleturus foret, spem libertatis non intercidere, vetus placitum est.

11. Imp. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN. AA. [et CC.] Flaviano.

Si servus fuisti, ac tibi per fideicommissum libertas relicta fuit, pervides sine¹⁹ manumissione te ad libertatem pervenire non potuisse: quapropter si verbis precariis constitutus servus libertatem accepisti, adire praesidem provinciae te oportet, ut causa cognita, si tibi deberi libertatem prospexerit, ad manumittendum eum, qui debet, urgeat; vel si latitet, contra latitantem interposito decreto tibi prospiciat.

et seq.; L. 55, D. h. t.; L. 22, D. de statu lib. — 9. L. 9, supr. de testam. manum. — 10. Confer L. 1, § 1, D. de suis et legit. hered. — 11. Abrog. L. 15, infr. h. t. — 12. L. 4, § 13, D. eod. — 13. § 2, Inst. de sing. reb. per fideicommiss. — 14. d. § 2, vers. qui autem. — 15. L. 4, D. h. t. — 16. L. 10, in fin. D. de testam. tut.; add. L. 24, § 10, D. h. t. — 17. Immo vide § 1, Inst. qui testam. tut.; L. 5, vers. cum igitur, supr. de necess. serv. hered. — 18. L. 5, supr. de testam. tut. — 19. Abrog. L. 15, infr. h. t.

13. Idem, AA. et CC. Hyrenio.

Ex verbo, *Commendo*²⁰, testamento, vel codicillis non videri fideicommissariam libertatem relictam [esse] auctoritate juris declaratur.

15. Idem, AA. et CC. Pythagorae.

Si te donatam ante matrimonium uxori suae, postea ei legato relicto, testamento manumitti, seu codicillis, seu verbis precariis a successoribus voluit: tam eos ad redemptionem et manumissionem, quam eam, quae in capiendis²¹ relictis defuncti consensus iudicio, teneri, tibi fideicommissariam deberi libertatem, non ambigitur.

14. Imp. JUSTIN. A. Juliano P. P.

Cum inter veteres dubitabatur, si fideicommissariam libertatem possibile esset relinqui servo qui adhuc in ventre portaretur, et homo fieri speraretur? Nos vetus iurgium decidentes, libertatis favore censemus et fideicommissariam, necnon directam libertatem suam firmitatem habere sive in masculo, sive in femina, qui, quaeve adhuc in ventre vehit, ut cum libertate solem respiciat, etsi mater sua adhuc in servitute constans eum, vel eam eliderit. Sin autem plures creati, vel creatae sint, sive unius fecit mentionem, sive pluraliter nuncupavit, nihilominus omnes ad libertatem a primis veniant conabulis: cum in ambiguis²² sensibus melius sit (et maxime²³ in libertate, favore ejus humaniorem amplecti sententiam. — Dat. kal. octob. LAMPADIO ET ORESTE VV. CC. COXSS. 350.

16. Idem, A. Juliano P. P.

Ancillam, sive servum, cum fideicommissaria libertas ei relicta sit, sancimus, si mora libertatis a debitor facta fuerit, sententia²⁴ praesidis eripi in libertatem, et nullo facto, aut voluntate ab herede expectanda: sed talem habere eos libertatem, quasi ab ipso testatore directis verbis fuerint libertatem consecuti, cum satis impium atque absurdum sit, heredes testatoris differre voluntatem, maxime²⁵ cum ad libertatem respiciat.

16. Idem, A. Juliano P. P.

Si quis in testamento suo rogaverit suum heredem, ex liberis ancillae suae, quam nominaverit, unum, quem elegerit, ad libertatem perducere: et cum ancilla unum, vel plures enixa est, heres neque dum superest, in libertatem aliquem adduxerit; vel cum deliberat, quis ad libertatem perducendus est, ab hac luce fuerit subtractus: dubitabatur ab antiquis, utrumne omnes, an quidam, an nemo ex his ad libertatem perveniat? Sed veteris iudicis juris alteratio multa sane super huiusmodi casibus resonuit. Nos autem heredis coercentes malignitatem, si non voluntatem testatoris adimpleverit, et mox cum potuerit, nemo elegerit unum ex liberis ancillae, et eum libertate donaverit, sancimus compelli non solum eum, sed etiam heredes, vel successores ejus omnes ancillae liberos in libertatem perducere: [neque enim] hoc contrarium est sententiae testatoris. Cum [enim] omnimodo quandam ex his liberum esse disposuerit, et non ad certum corpus, sed ad omnes respexerit: si non pareatur ejus voluntati, sine dubio ex sententia testatoris omnes ad libertatem perveniunt. Similemque esse definitionem censemus, et si non ab herede, sed a legatario, vel fideicommissario testator rogaverit libertatem imponi. Sic etenim justo timore heredes et legatarii, vel fideicommissarii perterriti et voluntatem testatoris adimplere procurent, et sibi non ex omnium libertate quandam afferre patiantur jacturam. Quod si reclamaverint: sibi tale dispendium imputent, non ex nostra lege, sed ex sua lugentes instantia. — Dat. 15 kal. decemb. CONSTANTINOP. LAMPADIO ET ORESTE COXSS. 350.

17. Idem, A. Juliano P. P.

Cum quidam servum suum ita legaverit, [ut] legatarius libertatem ei imponat, et heres ad huiusmodi legatum improbe²⁶ versatus, servum dare legatario dignatus est, ut etiam lite pulsetur, et iudex non in ipsum servum, sed in aestimationem litis condemnationem proferat: veteris juris interpretes dubitant, ne quod obstaculum libertati ex hac causa procedat. Et si placuerit eandem deberi libertatem, a quo danda sit, utrumne ab herede, an a legatario? Et si heres imponat libertatem, an legatarius quod ex pecuniaria condemnatione accepit, firmiter detineat, sive in totum, sive ex parte, sive etiam nihil? Talem itaque altercationem rescantes, miramur²⁷, quare iudex, qui praeposuit est in praedicta causa, non omnimodo condemnationem in servum, sed in aestimationem ejus fecerit: cum ipsius vitium etiam huiusmodi praebuit altercationi occasionem.

20. L. 41, § 6, D. eod.; L. 11, § 2, D. de legat. 5. — 21. Confer L. 40, pr. D.; L. 6, supr. h. t. — 22. L. 5, supr. de bon. que liber.; L. 192, in fin. D. de reg. jur. — 23. L. 24, § 10, in fin. D. h. t.; L. 20, L. 179, D. de reg. jur.; add. L. 15, infr. h. t. — 24. Abrog. L. 4, in fin.; L. 21, supr. eod. — 25. L. 14, in fin. supr. eod. — 26. L. 26, in fin. D. eod. — 27. Fac. L. 18, in fin. D. communi divid. — 28. Confer L. ult. D. qui sine manumiss. — 29. V. — 1. § ult. Inst. de libert.; § 4, Inst. de success. libert.; N. 78, pr.

Unde si talis quaestio emerit, nullum quidem iudicem ita esse stultum putamus, ut huiusmodi proferat condemnationem: sed si legatarius immineat, quatenus ei servus restituatur, et post litem contestatam duorum²⁸ mensium spatium effluxerit, censemus illico ad libertatem eripi servum, et illum quidem liberum esse, heredem autem pro sua indevolutione [in] omnes expensas, quas legatarius in lite fecit, in quadruplum ei condemnari: jure patronatus integro legatario servando.

TIT. V.

DE DEDITITIA LIBERTATE TOLLENDI.

1. Idem, A. Juliano P. P.

Dedititia conditio nullo modo in posterum nostram rempublicam molestare concedatur, sed sit penitus deleta: quia nec in usu esse reperimus, sed vanum nomen huius libertatis circumducitur. Nos enim, qui veritatem colimus, ea tantummodo volumus in nostris esse legibus, quae re ipsa obtinent.

TIT. VI.

DE LATINA LIBERTATE TOLLENDI, ET PER CERTOS MODOS IN CIVITATEM ROMANAM TRANSFUSA.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Cum dedititi liberti jam sublata sint: ea propter imperfecta Latinorum libertas incertis vestigiis titubat, et quasi per satyram inducta adhuc remanet, et non inutilis quidem pars ejus diminuitur: quod autem ex re ipsa rationabile est, hoc in jus perfectum deducitur. Cum enim *latini* liberti ad similitudinem antiquae latinitalis, quae in colonis missa est, videtur esse introducti, ex qua nihil aliud reipublicae, nisi bellum accessit civile²: satis absurdum est, ipsa origine rei sublata ejus imaginem derelinqui. Cum igitur multis modis et pene innumerabilibus Latinorum introducta est conditio, et leges diversae, et senatusconsulta introducta sunt, [et] ex his difficultates maximae emergebant tam ex lege Junia³, quam ex Largiano⁴ senatusconsulto, necnon ex edicto divi Trajani⁵, quorum quidem plene fuerant nostrae leges, non autem in rebus [eorum] fuerat experimentum: studiosissimum [nobis] visum est, haec quidem omnia et latinam libertatem rescicare, certos autem modos eligere, ex quibus antea quidem latina competeat libertas, in praesenti autem romana defertur conditio, ut his praesenti lege enumeratis, et civibus romanis nascentibus, caeteri omnes modi, per quos Latinorum nomen inducitur, penitus conquiescant, et non Latinos pariant, sed pro nullis habeantur. Quis enim patitur talem esse libertatem, ex qua ipso tempore mortis in eandem personam simul et libertas et servitus concurrant: et qui quasi liber moratus est, eripiatur non solum in mortem, sed etiam in servitute? — § 1. Sancimus itaque, si quis per epistolam⁶ servum suum in libertatem perducere maluerit, licere ei hoc facere quinque testibus adhibitis, qui post ejus literas, sive in subscriptione positas, sive per totum textum effusas, suas literas supponentes, fidem perpetuam possint chartulae praebere. Et si hoc fecerit, sive per se scribendo, sive per tabularium, libertas servo competat quasi ex imitatione codicillis delata: ita tamen, ut ipso patrono vivente, et libertatem, et civitatem romanam habeat. — § 2. Sed et si quis *inter amicos*⁷ libertatem dare servo suo maluerit: licebit ei similiter quinque testibus adhibitis suam explanare voluntatem: et, quod liberum [eum] esse voluerit, dicere: et hoc sive inter acta fuerit testificatus, sive testium voces attestationem sunt amplexae, et literas tam publicarum personarum, quam testium habeant, simplici modo servi ad civitatem romanam perducantur, quasi ex codicillis similiter libertatem adipiscentes. — § 3. Sed scimus hoc etiam esse in antiqua latinitate, ex edicto⁸ divi Claudii introductum, quod si quis servum suum *agritudine*⁹ periclitantem [a] sua domo publice ejecerit, neque ipse eum procurans, neque alii eum commendans, cum erat ei libera facultas, si non ipse ad ejus curam sufficeret, in Xenonem eum mittere, vel quo poterat modo eum adjuvare, huiusmodi servus in libertate latina antea morabatur: et quem ille morientem antea dereliquit; ejus bona iterum, cum moveretur, accipiebat. Talis itaque de servus libertate necessaria, domino etiam nolente, re ipsa donatus, fiat illico civis romanus, nec aditus in iura patronatus quondam domino re-

Tit. VI. — 1. d. § ult.; d. § 4; d. N. 78, pr. — 2. Adde L. 1, pr. supr. de codicis toll. — 3. d. § ult.; d. § 4. — 4. d. § 4; d. N. 78, pr. — 5. d. § 4; d. pr. — 6. § 1, Inst. de libert. — 7. d. § 1. — 8. L. 2, D. qui sine manum. — 9. d. L. 1, N. 22, c. 12; N. 253, c. 1; L. 4, § 5, supr. de bonis libert.; add. L. 2, infr. de infant. expos.; L. ult. D. pro derelicto; vide tamen L. 15, D. de statu homin.